



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Maria De Oegnies. 23. Iunii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

S. MARIA DE OEGNIES. 23.Iunii.

**E**X amplissimo virtutum MARIAE OEGNIA-  
CENSIS viridario flores omnes præter virgi-  
nitas lilym licet carpere. Hoc enim illi paren-  
tum importunitas invidit, qui invitam nuptiis il-  
ligarunt; quarum vix libato usu, marito continen-  
tiam persuasit, magnâ Christi approbatione, cuius  
crucem nunquam sine lacrimis, nunquam absque  
suo aliorumve bono adoravit. Militem genere,  
quàm moribus nobiliorem suis præceptionibus  
perductum ad frugem, malus dæmon ad infames  
naufragiis ejus scopulos retraxerat. Id MARIA  
longè absens vidit tamen, & Crucifixi affusa pedi-  
bus, precum finem non antè fecit, quàm infelici  
avulsum contubernio, Deo sisteret transfugam.  
Eandem sibi apud Deum patronam animæ piacu-  
laribus ardentes flammis optarunt, supplices non  
nunquam ad eam manus tendere visæ: & verò  
quid illi cælum negaret, centies per diem flexo  
poplite supplicant, trecentis plagiis laceranti cor-  
pus, atro pane vexanti verius, quam extinguenti  
famem, & sanè non duraturæ inter hæc supplicia,  
nisi Angelorum præsentia foveretur, & familiari  
cum Dei Filio usu, qui subinde suâ infantia ama-  
bilis, alias agni aut columbae specie decorus, ei de-  
licias faciebat. Ab hoc illi mira in divinas laudes  
eloquentia, vires adversus inferni larvas suppedi-  
tatae, quarum cùm se una morienti ingereret, hoc  
ejus convitio fugata est: *Discede sanies, & turpitu-  
do.* Id quâ fronte dicent, qui per omnem vitam se  
tam cupidè in hujus belluæ simeto volutarunt?  
*Ex Surio.*

*Quid aliud Purgatorius ignis devorabit, nisi pecca-*

ta

24.Iunii. VITÆ SANCTORVM. 317  
tatua? Quantò amplius tibi ipsi nunc parcis & car-  
nem sequeris, tantò durius postea lues, & majorem ma-  
teriam comburendi servas. In quibus homo peccavit, in  
illis gravius punietur. Thom.de Kemp.l.i.c.24.

S. JOANNES BAPTISTA. 24.Iunii.

JOANNES melioris Solis melior Phosphorus or-  
tus sui nuntium Angelum habuit. Ipse in matre  
jam sanctus, vix natus est, cum mutum parentem  
loqui oracula infans fecit. Patriam domum cum  
eremo mutavit, & cibum locustas ac mel agreste,  
vestem camelii exuvias habuit. Inde anno Tiberii  
imperantis XV. viam CHRISTO munire exorsus,  
non tam verbis, quam vitâ ad pœnitentiam scele-  
rum hortatus mortales, animorum lavacro ini-  
tium dedit, quod ipsum Servator sanctius tactu  
suo reddidit. Hunc ille itaque mundo Agnum  
ostentare, ad hunc èscholâ suâ discipulos rectius  
erudiendos amittere, & jam indignum se putare  
ad cuius vel ultimum servitium descenderet. Sed  
nimirum se ipso major, sacris etiam vatibus omni-  
bus prælatus, & secundus à CHRISTO ab ipsomet  
CHRISTO est proclamatus. Et tamen tam charum  
cælo caput Herodes saltatriculæ filiæ pedibus do-  
navit, & crudelibus oculis pascendis mensæ etiam  
inferri voluit. Itaque tunc, si unquam aliâs, laute  
cœnavit gula. Quæ enim mensa tam nobile caput  
habuit? Ex Hist.Evang.

Ioannes sanctus homo missus à Deo, immo Angelus Dei  
innocentissimum illud corpus sic castigat, sic extenuat,  
sic affigit; vos indui festinatis byssō & purpurā, &  
splendidè epulari. S.Bern.ferm.de Nat.S.Joan.